



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **INTER SACRAS** SANCTUARIUM MARGARITENSIS  
DIOECESI, QUOD EST DICATUM  
BEATAE MARIAE VIRGINI TITULO «NUESTRA SEÑORA DEL VALLE» INVOCATAE,  
AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Inter sacras aedes  
Margaritensis dioecesis merito celebratur sanctuarium beatae Mariae Virginis titulo «Nuestra Señora del Valle»  
invocatae, cuius imago ibidem servata impensa pietate colitur a fidelibus loci finitimarumque regionum et a milibus  
quoque classis Venetiolanae, quae eandem suam Patronam habet. Constat insuper hoc templum notum esse centrum  
spiritualis vitae operumque pastoralium et caritatis. Qua re, cum Venerabilis Frater Caesar Raimundus Ortega Herrera,  
Episcopus memoratae Sedis, litteris die XXII Mensis Martii superiore anno datis, etiam cleri populique sui nomine  
postulaverit ut templum idem titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaremus, Nos, paternae benevolentiae  
documentum dilectis filiis Venetiolanis cupientes praebere, tam sollertis Pastoris precibus perquam libenter  
obsecundandum esse putamus. Ratis igitur plane habitis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina  
Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, summa Apostolica potestate, harum Litterarum virtute  
perpetuumque in modum sanctuarium, quod diximus, ad Basilicae Minoris gradum dignitatemque evehimus, omnibus  
factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis,  
quae secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda  
sunt. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum*  
*Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Iunii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo*  
*decimo. ANGELUS card. SODANO*

*Secretarius Status © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana*

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana